

fentes sibi
sed non ut
præsentem
nobis.

nem, quâ objectum attingitur aliter, quàm se habeat, falsam esse: At postmodum adhibebitur distinctio jam præmissa, & dicitur res futuras non esse præsentem relatione ad nos factâ, sed præsentem esse relatione ad Deum habitâ. Neque obstat ratio in contrarium adducta, nempe quod res futuræ se habeant ad præsentem, uti tempora futura ad præsentia, quorum impossibilis est, ut contendit Adversarius, omnis simultas: nam hoc tantum verificatur de similitate reali, sed non de objectiva. Hæc siquidem simultas omnium temporum objectiva est maximè, non modò possibilis, sed actualis in conspectu Divino: & ita superest res futuras non tantum cognosci à Deo ipsi præsentem, sed nec aliter, quàm in hunc modum præsentem, posse.

& X XIII.
Ad coexisten-
tiam Dei
cum rebus
futuris suf-
ficere quod
per apprehen-
dat illas.

Tum ad aliam difficultatem, seu potiùs aliam ejusdem difficultatis instantiam solvendam, facillè sufficeret eadem responsio; nihilominus addo hæc pauca, & concessâ majori nego minorem, pro cujus probatione evertenda dico nullatenus esse Deo necessariam pro cognitione rerum futurarum instar præsentium coexistentiam ullam realem ex parte temporis, sive imaginarij, sive realis ad imaginarium relati, sed sufficere objectivam, quæ est per apprehensionem præventa: nam hæc similiter accelerat res futuras & reddit præsentem, uti sistit præteritas. Quin etiam sufficit talis coexistentia (quod intelligitur præsertim ex dictis alibi de immutabilitate & æternitate Divina) non solum ut futura cognoscantur præsentia, sed ut reverâ sint præsentia.

& X XIV.
Affectus ad
id Textus
& Scriptu-
ræ.

Nam in conspectu Dei immutabilis & æterni necesse est ea, quæ ventura sunt, jam esse facta; sicuti legitur apud Isaiam c. 45. II. *Hæc dicit Dominus Sanctus Israël plastes ejus, ventura interrogate me;* & sic quidem fert Vulgata; sed Interpretes 70. aliter habent, *qui fecit quæ ventura sunt*: quam Interpretationem plerique ex Sanctis Patribus sequi olim maluerunt. Verùm & in illis verbis, *Ventura interrogate me*, satis continetur veritas doctrinæ statuentis futura esse Deo præsentia; nam nisi essent hujusmodi, idonea esse non posset præsens de futuris responsio. Futura itaque sunt Deo præsentia: imò hæc futurorum præsentia videtur esse nota Divinitatis characteristicæ: siquidem præmissa Dei verba coincidunt facillè cum istis: *Ut sciatis esse me Deum ac Dominum vestrum, ventura interrogate me.* Neque hîc quicquam aliud desideratur ad integram objectionis totius solutionem.